

Xh. ss.

Z c.

2985



XI, 55.

41 3861

h



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

D I X I



*PIIS MANIBUS*  
**DN. D. CHRISTIANI LANGII**  
Prof. Publ. & Superintendentis  
*meritissimi &c.*  
justa soluturus  
Lectori benevolo salutem dicit  
**D. HIERONYMUS KRÖMAYER.**



IN MANIBUS  
DR. D. CHRISTIANI LANGII  
Past. theol. & Superintendentus  
instituti  
instituti  
Lector benevole salutem dicit  
D. Hieronymus KROMAYER





## Esiderium de-

functorum, quos vivos in deliciis habuerant, tantum non omnes populos lenire voluisse, monumentis historiarum, si quoad antenus illa replicamus, informamur. De populis antiquissimis Hebræis & Ægyptiis, quod pollinctorum defunctorum cadavera præservare voluerint à putredine, legimus. Non uniusmodi tamen apud utrumque populum fuit hæc unctio: illorum tantum  $\epsilon\zeta\omega\theta\epsilon\upsilon$ , aromata forinsecus applicando; horum  $\epsilon\sigma\omega\theta\epsilon\upsilon$ , intestinis extractis & cerebro per nares extracto, fiebat. Illa brevius temporis spacium, ut passionis nos docet historia; hæc longius, 40. nimirum dies, ut Jacobi Patriarchæ nos docet exemplum, requirebat. Illa per temporis spacium angustius; hæc diutius, vel ad annorum millenarios à corruptione cadavera præservabat. Illa per  $\tau\omicron\ \epsilon\upsilon\tau\alpha\phi\iota\alpha\zeta\epsilon\upsilon$ ; hæc per  $\tau\omicron\ \mu\epsilon\mu\chi\delta\epsilon\upsilon$  redditur, ut eruditè notat Casaubonus in animadvers. suis ad Baronii annales animadv. 312. Ex arena sanè sub pyramidibus Ægyptiacis in hunc usque diem eruuntur cadavera, Mumie vulgò dictæ, notas hieroglyphicas adscriptas habentia, gummi præsertim cedrino ante aliquot annorum chiliadas condita, & post-

) ( 2

mo-

modum ibidem cōdita. Videatur Illustris Radzevil,  
Breuningius, Schweigerus & alii, qui nobis Ægyptum in  
suis hodie poricis descriptam reliquerunt. De aliis, quod  
defunctorum simulacra suis in larariis reposituerint, tan-  
demq; desiderio nimio in transversum abrepti coluerint,  
legimus: à quibus etiam Autor libri sapientiæ idolola-  
triæ originem arcessit. Romani, postquam à Syllæ tem-  
poribus cremata fuerunt cadavera, interdum crematio-  
nes istas iterarunt, ut de Julio Cæsare Dictatore perpetuo  
Cicero in Philippica prima refert, quod in foro quotidie  
aliqua Cæsaris imago fuerit cremata, renovandi scilicet  
desiderii causa. Quam etiam dicto loco sepulturam in-  
sepultam quasi nondum consummatam eleganter vo-  
cat. Cineres & amicorum lacrymæ urnis inclusæ repo-  
nebantur, prout anno superioris seculi 44. in insula Za-  
zyntho, quæ Zante nunc dicitur, Ciceronis sepulchrum,  
in quo duæ fuerunt urnæ, cineribus una, sed amicorum  
lachrymis temporum tractu siccatis altera repleta, refe-  
rente Johanne Förstero, Prof. Theologo in passione ty-  
pica, inter alia detexit apertum. Ignes etiam adjecerunt  
perpetuos, ut de Tulliollæ filia Ciceronis sub Paulo 3.  
Pontifice recluso monumento refert Johannes Jacobus  
Grasserus in ærario suo Italico, quod flamma cinerum  
custos perpetua fuerit adjecta, quæ quàm primùm hunc  
aërem senserit, expiraverit. Materiam hujus flammæ ab  
Hieronymo Ruscello in libro de Imprese Illustri, h. e. de  
præclaris inventis, descriptam dicit. Unde bustorum  
& urnarum frequens adhuc mentio apud Scriptores La-  
tinos, præsertim Poëtas monumenta defunctorum de-  
lineantes, occurrit. Sternebantur etiam loca, in quibus  
urnæ reconditæ, lapidibus sepulchralibus ad vias publi-  
cas

cas propter viatores prætereuntes, ut aliquam  
ab iisdem *ὁ Φημίαν* ferrent. Sic Ovidius exul in 3. libro  
de tristibus ad uxorem rescripsit:

Ossa tamen facito parva referantur in urna:

Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Non vetat hoc quisquam: fratrem Thebana peremtum

Supposuit tumulo, fratre vetante, soror.

Atq; ea cum foliis & amomi pulvere misce,

Atq; suburbano condita crede solo.

Quosq; legat versus oculo properante Viator

Grandibus in tumuli marmore cæde notis:

Hic tibi, qui transis, non sit grave, quisquis amasti

Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

Heroibus insuper Colossi, benè meritis statuæ pariles,  
i. e. humanam staturam æquantes, plebeis sigilla erige-  
bantur: Id quod in architectonicis olim apprimè obser-  
vabatur. Quin etiam interdum insanæ structuræ pro-  
defunctis, ut moles Adriani, hodie castrum de S. An-  
gelo, Pontificum Romanorum fortalitium, ut esset Im-  
peratoris Adriani monumentum, condebantur. Quid  
de *ὁ δὲ θεῶν* & modo *ὁ δὲ θεῶν* dicam? Prolixius de illa  
rerum Romanorum Scriptores videri possunt. Ad Chri-  
stianismum conversis Romanis, Pontifices sua Martyro-  
logia (quæ tamen non simul & semel, sed lapsu temporis  
fuerunt absoluta) conficiebant in quibus, gentilium fe-  
stis abrogatis, sanctorum Martyrum & Confessorum  
(non raro etiam eorum, de quibus, an unquam in rerum  
natura fuerint, dubitatur) cum nominibus rubricâ scri-  
ptis memoria consecrabatur. Hæc ipsa memoria tan-



dem in invocationem, cum errores velut agmine facto in Ecclesiam irruerent, degeneravit. Calendarium Romanum, ut fuit Ethnicis usurpatum, apud Paulum Manutium, ut & quoad festos dies singulis mensibus insertos apud Calvisium in Isagoge Chronologica videri potest: unde, quæ quibus fuerint substituta, facile dispalescet. Hæc Martyrologia, vel Calendaria licet Clericis tantum in usu fuerint primùm, ante ducentos tamen annos, cum Regiomontanus Francus (qui propter emendationem Calendarii Romani accersitus peste ibidem periit) pro singulis annis Ephemeridas scribere cœpit (qui mos etiamnum durat, sed variis ineptiis collutatus) etiam Laicorum manibus inferi cœperunt. Nobis *αὐτὸν* & pia defunctorum post mortem celebratio sufficit: in quo non tantum Scriptores Sacros, Autorem libri Sapientiæ, Syracidem, Paulum ad Hebræos, sed & gentiles, qui præclare de Republica meritos pro funere laudarunt, Duces habemus prævios,

Horum vestigiis insistentes, cum hoc ipso die ascensionis Dominicæ anniversaria memoria beatæ analysæ Viri, dum in vivis erat, Admodum Reverendi, Magnifici, Amplissimi & Excellentissimi, DN. CHRISTIANI LANGII, S. S. Th. Doctoris & Professoris in hac Academia Celeberrimi, Consistorii Eccles. Facultatis Theologicæ & Nationis Misnicæ Senioris, Ecclesiæ cathedralis ingenuæ Misnensis Decani, Collegii majoris Collegiati, Academiæ Decemviri, Ecclesiæ Thomanæ Pastoris & vicinarum Superintendentis de singulis collegiis meritisimi vertat in orbem, crastino *σὺν Θεῷ* die in acroaterio Collegii majoris, finitis sacris matutinis, feriis

rius licet, cum seriùs ad me delatæ fuerint hæ partes, de-  
centius tamen, Viro huic Optimo, panegyrico solenni  
iusta persolvemus. Præstitit hoc quale quale officium  
posthumum DN. D. VINCENTIO SCHMUCCIO  
& Domino D. POLYCARPO LTSERO, Collega su-  
perstes Dominus D. HEINRICUS HOPFNERUS,  
huic ipsi verò Domino D. H. HOPFNERO Collega re-  
siduus Dominus D. ANANIAS WEBERUS,  
Domino D. JOHANNI HOPNERO Colle-  
ga in vivis etamnum existens Dominus D. DANIEL  
HEINRICI, omnes Professores Theologi. Me-  
rita certè Beatissimi nostri D. LANGII, quibus hanc  
Academiàm, Ecclesiam & singula Collegia, quorum  
pars fuit, sibi per tot annorum spacium devinxit, tanta  
sunt, ut gratia nulla iisdem par esse queat. Quare Ma-  
gnificum Academiæ Rectorem, Facultatum omnium  
Decanos, Professores, Doctores, Licentiatos & Magi-  
stros, ut crastino *συνθεῶν* die, finitis sacris matutinis, tan-  
tum temporis negotiis suis concatenatis succidere, ho-  
nori posthumò sui quondam Superintendentis & ani-  
marum Curatoris velificari, præsentia suâ splendidissi-  
mâ parentationis actui lucem foenerare, quanti-  
quàm suum hunc *προεστῶτα καὶ ἡγούμενον* vivum fecerint, post mortem  
declarare velint, præsentibus enixè contendo. Deus,  
quæ superant, fulcra conservet, verbi sui *καλὴν παρακατα-*  
*θήκην* contra Satanæ & organorum furores asserat, Sa-  
reptulæ suæ halcyonia concedat, nos vasa misericordiæ  
efficiat, tandem-  
quæ finito peregrinationis cursu Beatissi-  
mo Doctore LANGIO in tabernaculis justorum  
associet. Sit nomen DOMINI nunc & in secula  
be-

benedictum. P. P. XIII. Cal. Junii, vel ipso  
ascensionis Dominicæ die,  
anno 1658.



Zc: 29 85

ULB Halle  
004 709 08X

3



VD 17

H. O.





PI  
DN, D. CHR  
Prof. Pu  
Lectori b  
D. HIERO

